

... ecclesia S. Adalberti in foro Crac.)
... Nep. Hospes in urbe metropolitana
Cracoviensi



HOSPES

In Urbe Metropolitana Cracoviēsi,

S. ONUFRIUS,

Magnus Anachoreta, Regis Persarum Filius,

THAUMATURGUS,

Circa solennem Reliquiarum Introductionem
Ex Basilica Cathedrali Cracoviensi, ad Ecclesiam Sancti AD-ALBERTI, *Archiepiscopi Gnesnensis, Patroni Principalis Regni Poloniæ,*
Per Archiconfraternitatem Literatorum sub Titulo Assumptionis B. M. V. & S. JOANNIS NEPOMVCENI Martyris.

INVITATUS.

Ab universo devoto populo
Annô Domini 1741. *Die 11. Julij,*
per 4. dies perseverante solennitate cum summa veneratione & cultu,



in numerosissimo concursu

ADORATUS.

Synopsi, breviq; compendio Posteritati
Per
M. JOANNEM NEPOMVCENVM AWEDYK,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctorem & Professorem
Orbi Christiano

PRÆSENTATUS.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.



Sanctus Onuphrius Magnus Eremita
Regis Persarum Filius.
Lehinger sc. Cracoviæ.

Angelicos inter cætus ONVFRIVS, ecce!
Cella cui Cælum eſt, Angelicuſq; cibus.
Hinc ſi perpendas devotæ mentis ocellô,
Non homo, ſed dices; Angelus Ille fuit.
Angele Sancte DEI, ſis Cuſtos Orbis & Vrbis,
Cultoreſq; tuos defer in aſtra Poli.

ORBIS CHRISTIANI CYNOSURÆ

ET ATLANTI, 710.

SACRO EREMITARVM PHÆNICI,

Carnis, Mundi, ac Dæmonis

ADMIRANDO TRIVMPHATORI:

Austeræ in vita mortificationis,

omniumq; virtutum Exemplari;

S. ONUFRIO,

Communi omnium ad se confugientium

PATRONO.



Uem nuper, inenarrabili gestientis populi cum plausu, Metropolis Regni, totiusq Orbis Polonus Thaumaturgum *excepit* Hospitem; *hunc, Nomini Honoriq Tuo devotissimus Cliens, prono adorans poplite, cum pagella hac, uti profundissimi cultûs interprete, Plantis tuis advolvor.* ONVFRI Divinissime. *Jure merito etenim in desideratissimo Sacrarum Reliquiarum tuarum accessu, tanquam Regis Filio, ingentes Metropoleos Regni debebantur plausus: decuit, ut Urbs hæc cum suis Civibus, in tuum conspectum effunderetur tota, quem, Terrestrem Angelum, Naturæ & Gratiæ Prodigium, Thesauri sui Dispensatorem, Providentia Divina, Orbi exposuit universo. Dedere Te Nobis Boni Superi* ONVFRI Divinissime *hoc potissimum tempore, quô omnia labuntur ac ruunt in deterius: ut constaret, quòd totius Christianitatis cum extrema fortuna luctantis, sis scutum, clypeus & Umbo; quòd Orbis Poloni Motricem agas Intelligentiam, illumq Sacro Humerô Tuo in spes meliores erigas, Divinior Atlas. Quantum gratiarum Cælestiũ in Thesauro Omnipotentiæ Divinæ dari & esse potest, id totũ*

in Te

in Te velut in Archivo dextera Excelsi reposuit: ut ex Te omnis quidquid voluerit, habeat. Excedunt illæ numerum, mētem maximorum superant capacem; pluresq; sunt, quàm ignis ille, in quem suasu dæmonis injectus, tanquam aurum in fornace probabaris, arsit scintillis; quàm limpidus fons, qui uberiori alveo, ad commodum sese sinuabat tuum scatebat guttis; aut quàm vasta Eremus, quæ te decennem admirandum suscepit Anachoretam, gemmabat foliis. Potentiam dæmonis, nudo quidem sed triumphali calcaneo cùm contriveris, elegisti, inferni astu, malignantisq; fortunæ, sinistra depressos manu, sublevare, inter ferarū spelæa tristesq; sylvarum recessus dum per 60. annos vitam transegeris, placuit Tibi placetq;, mæstis solatia ferre; æstum & algorem constanti dum perpessus fueris tollerantiâ æstibus malorū immersa vota mortalium protegis, & reddis illæsa. Sublimius Sacri Tui eminent favores, quàm fatum possit assurgere; Angelicâ nuditate abstergis lachrymas populorum; universis reddis vultū, quem varia mala corruperant: tuaq; gratia præsente alta quantūvis vulnera minimè sentiūtur, ut id æternæ Veritatis probat effatū: quòd omnis quacunq; fati necessitudine functus, meritis tuis cōfisus, si Deum oraverit, de malorum injuria triumphabit. Hinc est, quod Clientum minimus, gratiarum Tuarum memor nupernos Sacris Reliquiis tuis in solenni introductione exhibitos plausus in mappam colligens, illam unà mecum plantis Tuis sububsterno. Umbram hanc, quam Tibi splendoribus Sanctorum radianti Phæbo appinxi ONVFRI Divinissime non despice, ut pote illam, quæ venturæ posteritati, plausuum tuorum avidissimæ lumen dabit. Afflictæ Christianitati fer opem & subsidium; Orbē Polonum, Cælestibus gratiis corona Trinis Cracoviæ Turribus, quas Sacro Humero Tuo donasti lautiùs de thesauro bonitatis Divinæ provideas & cum fueris immortalis gloriæ in Patria Comprehensor minimum Clientum tuorū, gratioso oculo intuere, ac tueare viatorem. Ita ad pedes tuos provolutus supplico.

M. Joannes Nepomucenus Awedyk,
Ph. Dr & Prfr.

Ad Lectorem Devotum, Cultui & Honori Divi ONUFRIJ.

QVemadmodum disponente omnia suaviter DEI TER OPTIMI MAXIMI Providentiâ, Sanctus ONVFRIVS, Regũ Persarum Sanguine oriundus, decennis oculos hominum effugiens, in Eremo per Annos sexaginta mundanæ vanitatis contemptor, non sine prodigio Pafnucio revelatus, & per Eum, Orbi præcipue Christiano, tam per Orientales quàm Occidentales plagas, de admiranda vitæ austeritate, alijsq; virtutibus, promulgatus, à centenis aliquot Annis, famâ sanctitatis refulsit; ita non alio tempore in Sacris suis Reliquijs, huic Metropoli Regni, simulq; Orbi Polono accessit; nisi hoc tempore turbido, quô Christianus Orbis Cæsareæ Majestatis Fascibûs orbatus, circa Supremum Imperij Caput erectis in Cælum desudat suspirijs. Hinc inferendum est, quod ONVFRIVS Divinissimus sicut ante agonem pro tota Christianitate pias preces ad DEVM effuderat; ita & hoc tempore difficili ad vota omnium Superos flectet. Regibus, & Principibus Christianis, pacem, concordiam, & unionem animorum facile impetrabit. Quem Divum Anachoretam, Archiconfraternitas Literatorum postquam sibi elegerit pro Principali Patrono, determinatâ introductionis Sacrarum Ejus Reliquiarum Die, supplicatum est de consensu, Eminentissimo ac Celsissimo Principi, Illustrissimo ac Reverendissimo Domino JOANNI ALEXANDRO, Miseratione Divina S. R. E. Cardinali LIPSKI, Episcopo Cracoviensi, Duci Severiæ. Cui petitioni annuit Eminentissimus Princeps, Pientissimus Pastor, Sanctorum Cultor Zelosissimus, & Processum ex Cancellaria sua cum ordinatione, qua methodo expedienda Processio, duabus septimanis ante solennitatẽ extradere mandavit. Eratq; ejusmodi Processus.

721,

JOANNES ALEXANDER
Miseratione Divinâ S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
L I P S K I,
EPISCOPUS Cracoviensis, DUX Severiæ.

UNiverso Clero, Sæculari & Regulari per & intra Civitatem Cracoviensem salutem in Domino sempiternam. Largitor omnium bonorum DEUS volens nimis honorare Amicos suos, amplissima Omnipotentiæ suæ aperit gazophilacia, unde Gloriâ Coronatos in Cælis, interris quoq; manifestis dignatur honoribus, Et sicut olim per umbram Petri Primi Vicarij Salvatoris Christi, plurimos in plateas expositos, ab infirmitatibus liberabat; sic & nunc larga bonitatis suæ munera tribuit Ossibus Sanctorum, ut inde Fideles Christi Domini magis animati, ferventiori zelô Eorundem opem implorent, ac laudent Dominum in se, & Sanctis suis admirabilem. Hoc opus clementiæ Altissimi spectamus, in exuvijs Sacri Corporis Servi Dei ONUFRIJ, Regis Persarum Filij, sexaginta Annorum in Ægipto constantissimi Anachoretæ, quæ licet à Paphnutio in Eremo illa sepultæ; ast operante Divinâ Providentiâ, Romam delatæ, in Ecclesia eidem Servo Dei exstructa, Sacrosanctè coluntur. Ex quarum particulis una ex brachio cessit in sortem Archiconfraternitati Literatorum, sub Titulo Assumptæ in Cælum Dei-Paræ S. Joannis Nepomuceni M. Cracoviæ, in Ecclesia S. Adalberti Archiepiscopi Gnesnensis & Martyris, fundatæ; prout id authenticum manu Episcopi Pisauri subscriptum palam testatur. Hinc prædicta Archiconfraternitas, anhelando Cultum Ejusdem Sancti propensiùs promovere, humillimè Nobis supplicavit, ut has Reliquias obtentas, ex Ecclesia Nostra Cathedrali ad præfatam S. Adalberti Ecclesiam solenniter Authoritate Nostrâ Ordinariâ die 11. Mensis Junij Anno currenti post Vesperas, & Concionem introducere permittamus. Animadvertentes itaq; piam & sollicitam in grege Nobis commisso intentionem, & simul recensentes magna istius Sancti Onufrij merita, qui etiam ad ago-

ad agonem vitæ ſuæ pro Chriſtianitate tota prolixius fudit preces ad Dominum, ut quoq; in præſenti afflicto Orbis Chriſtiani ſtatu, coram DEO efficax pro pacificanda Chriſtianitate Intercesſor exiſtat; ac ſimul corda fidelium ad devotionem excitare cupientes, licentiam introducendi ritu ſolenni dictas Sancti ONUFRIJ Reliquias, unà cum quatuor dierum celebritate, concedendam eſſe duximus, & concedimus per præſentes, tali ordine: Quatenus videlicet: Proceſſioni & Introductioni præmiſſæ univerſus Clerus, Eccleſiarum Cathedralis Noſtræ, cum omnibus tàm Ordinatis, ordinandis, aliàs ſine exceptione, Seminariſtis utriusq; Seminarij, & omnium Collegiatarum Parochialium & Regularium Eccleſiarum tam intra mænia, Vrbis Cracovienſis & Caſimirienſis, quàm extra mænia conſiſtentium, ſolito alias Proceſſionibûs ſolemnibûs obſervato more, pro hora quarta conveniat ad aſſiſtendum; Feretrum cum Reliquijs Sancti per Vicarios Eccleſiæ Cathedralis, ante Chorum ſeu Crucem Perilluſtrium Prælatorum & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, deportetur. Confraternitates omnium Eccleſiarum tàm Sæcularium quàm Regularium cum ſolitis inſignijs comitentur Requirimus proindè omnes & ſingulos Perilluſtres, Illuſtres Prælatos & Canonicos Eccleſiæ Noſtræ Cathedralis & Collegiatarum Admodum Reverendos Religioſos Præpoſitos, Parochos, ſeu quoſcunq; Eccleſiarum Sæcularium Rectores, Regularium Superiores & Confraternitatum omniũ Præfectos, Seniores ijſdemq; mandamus, cæteros in Domino hortamur, quatenus Ordinationi Noſtræ præſenti obtemperent & Proceſſioni ac Introductioni hujuſmodi, ita ut præmiſſum eſt, adſint, & aſſiſtant, ac in omnibus Eccleſijs tempore Proceſſionis Campanæ pulſentur. In quorum fidem Datum Cracoviæ in Palatio Noſtro Epiſcopali Die 20. Menſis Maij 1741.

JOANNES CARDINALIS LIPSKI.



Adamus Antonius Fabricy Actorum Curiæ ſuæ Eminentiæ Notarius.

Deter-





Eterminata solennis Introductionis Reliquiarum Sancti ONVFRIJ cùm imminuerit dies, pijs Cultoribus Ejus mæstitiam intulit Cælum, quando ab Ortu Solis statim copioso depluebat imbre, cum ingenti hunc solennem expectantium actum mortificatione; ast circa meridiem supra spem serenâ Polus resplenduit facie magno cum jubilo, summa cum consolatione totius Cracoviæ, plurimorumq; pro hoc actu descendentium, qui tali ordine expeditus est. Matutino tempore, inter plurimas Sanctorum Reliquias, circa horam 5. expositæ erant in Feretro Reliquiæ D. ONVFRIJ ante magnum Altare in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, (hæc enim dies, Anniversaria Consecrationis ejusdem Ecclesiæ Cathedralis est, quâ juxta morem & consuetudinem omnes, quas tantum hæc Cathedra habet Sacras Reliquias, exponuntur in aureis argenteisq; thecis) & inter numerosas faces in 3. gradibus dispositas locatæ erant. Post meridiem verò circa 3. Horam ante Ecclesiam D. ADALBERTI in turribus Prætoriana, nec non Excubiarum Ecclesiæ Archipræsbyteralis concentus tubarũ resonabant, post Portam autem Novam ignes accendebantur triumphales. Post horam 3. inceptæ vesperæ in Cathedra, quæ solenniter cum vario Musico concentu absolvebantur. Circa 4. horam congregabantur ad Cathedram omnes Confraternitates & Sacræ Religiones, quibus in porticu Ecclesiæ candelæ dabantur. In egressu hujus solennis Processionis, concionabatur disertissimo ore *Illustris Clarissimus & Admodùm Reverendus Dominus* M. IGNATIVS CANTIVS HERKA, *Phiæ Doctor, Ejusdẽq Regius Professor, Collega Major, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Concionator Garvascianus, Collegiatæ S. ANNÆ Canonicus, Parochialis in Gay Curatus*, ex circumstantia tam

Expositionis

Expositionis Reliquiarum in Ecclesia Cathedrali, quàm Solennium Processionum cum Reliquijs multorum Sanctorum publicè portatis convenientium, super Thema: *fac Orationem pro Reliquijs 4. Reg. 19. ℣. 4.* Propositio talis: *Sacræ Sancti ONVFRIJ Reliquiæ, Clenodium Persarum, omni valore æstimabilius, Magno & Sacro Cracoviensi variorum Sanctorum Reliquiarum Thesauro, mirabili Dei additum Providentiâ.* Post finitã Concionẽ exijt Pontificaliter ornatus *Eminentissimus Cardinalis* & cùm absolverit Orationem de Sancto, statim *Processio* tali ordine peragebatur. Confraternitates singulæ tam ex Civitate quàm ex suburbijs præibant, quas comitabatur Confraternitas Literatorum cum elevata Cruce & vexillis, portans Imaginem S. ONVFRIJ genibus flexis in Eremo inter rupes, circa quam Imaginem S., quidam ex Confraternitate hacce cũ ardentibus facibus assistebant, tũ etiã Sæcularis Clerus. Ad hanc Imaginẽ totus Musicorũ Chorus Collegij SS. Apostolorum Petri & Pauli Societatis Jesu præsens erat, ludendo & canendo Hymnum de communi Confessorum. Sequebantur tandem Sacrarum Familiarum cætus, cum Crucibus, vexillis, tum accensis candelis: uti Religiosorũ PP. Capucinorum, Bernardinorum, Augustianorum, Carmelitarum Antiquæ Observantiæ, Franciscanorum, Dominicanorum, Canonicorum Lateranensiũ Corporis Christi, Canonicorum Regularium S. Spiritûs de Saxia; quos comitabatur Musica Ecclesiæ Archipresbyteralis B. V. M. numerosa. Tandem sequebantur omnes Parochiæ & Collegiatæ, præeuntes Clerum Cathedralem, quas comitabantur 6. Vicarij Ecclesiæ Cathedralis, in pretiosissimo apparatu albi coloris immediatè ante Crucẽ Capituli, portantes pretiosum Feretrum cum Reliquijs Sancti, in assistentia Musicæ Cathedralis, varios concentus in laudem D. Anahoretæ intonantis. Circa Feretrum Nationalistæ Germani cum 12. facibus, totidem etiam ex Confraternitate Literatorum similiter assistebant. Tandem Scabinatus cum Magistratu Cracoviensi cum ardentibus facibus Sacras sequebatur Reliquias, ardebantq; circa Feretrum 50. faces. A latere comitabantur Sacræ Religiones, quæ non habent usum cum

 Selevatis Crucibus processionaliter eundi, cum facibus, utpote Canonici Regulares Sepulchri Christi Domini, Patres Societatis Jesu, ex 3. Collegijs, Patres Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Patres Carmelitæ Discalceati, ex duobus Monasterijs. PP. Missionarij ex duobus Seminarijs, PP. Piarum Scholarûm, PP. Reformati S. Francisci, PP. Canonici de Pœnitentia BB. Martyrum, PP. Bonifratres, PP. Ordinis SSmæ Trinitatis Redēptionis Captivorum. Augebat plausum *Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus*, *CAROLVS de Wielopolscijs MYSZKOWSKI Supremus Stabuli Regni Præfectus*, *Capitaneus Cracoviensis*, cum alijs *Illustrissimis Proceribus Regni, ex Palatinatu Cracoviensi* cum facibus assistens. Tandem sequebatur Peraugustum Capitulum Cracoviense; Quod Pontificaliter comitabatur *Eminentissimus Cardinalis Episcopus Cracoviensis* Dum Processio ex Cathedra in forum Civitatis exijt, ingens multitudo hominum, aliquot millia adæquans sequebatur eandem, qui non tantum ex Civitate & suburbijs, verum etiam ex propinquis villis & Oppidis confluxere, adeo, ut tam numerosam multitudinem etiamsi sat amplæ plateæ, capere non potuerint, quorum alij fenestras Palatij Regij, alij valla murosq; ascendebant Castrenses: Imò non tantum in lapideis & fenestris, sed etiam in tectis & turribus multi spectatores adfuerant. Dum verò Feretrum cum Sacris Reliquijs ex Ecclesia Cathedrali sub publicum exportaretur Solem, signum datum per Principem Campanam Sigismundi, statimq; per omnes Ecclesias tam in Civitate quàm in suburbijs Campanæ sonū edebant, tormenta incessanter explodebantur tā post portam Arcensem, quàm Novam tempore ipsius Processionis. In turribus varijs in instrumentis Musica distinctos concentus exercebat quod & ante Ecclesiā D. ADALBERTI peragebatur Durabat hæc Processio tribus ferme horis, eundo circum circa forum. In memoriam autem quod Sanctus ONVFRIVS Anachoreta, in Eremo vitam duxit, erant dispositæ frondes festæ permodum silvarum per plateas Civitatis. Ab Arce, quà Processio medijs Plateis ibat, nonnullæ lapideæ adornatæ erant peristromatibûs, non nullæ lampadibûs, candelis, Imaginibûs

gimbûs

ginibus S. ONVFRIJ & aliorum Sanctorum: Quamvis clara dies fuerit, tamē lumina in Processione & per lapideas bene prominebant. Dum tangebat Processio Ecclesiam S. ADALBERTI ad Ecclesiam Archipresbyteralem, incæpit *Eminentissimus Cardinalis* Te DEVM Laudamus, in gratiarum actionem Domino Deo pro Sacris Reliquijs communicatis *Regno Polono*, quod continuabat Clerus, populus & Musica. Circum circa forum stabant armata cum vexillis Mercatoria Contubernia Civitatis, sub Prætorio verò Præsidium Vrbis hujus cum vexillo afsistebat. Ante Ecclesiam Archipresbyteralem Contubernia, Clepardiensia consistebant. Processioni autem assistebant Contubernia Occatorum & Piscatorū è Vivario, accendendo ignes triumphales in non nullis locis Metropoleos. Cùm accedebat ad Ecclesiam S. ADALBERTI Processio cum Sacris Reliquijs, præ ingenti turba exposita erat mensa adornata, in una parte, in qua collocatæ erant Reliquiæ ante Ecclesiam, in altera parte Cathedra propter Concionatorem. Tandem inchoata Concio salutans Ossa Sancti Thaumaturgi, quam discretò ore dixit *Reverendus & Religiosus Pater JOANNES CANTIVS Ordinarius Concionator Patrum Carmelitarum Discalceatorum, Conventus S. MICHAELIS Cracoviensis, super Thema:* Leva Orationem tuam pro Reliquijs, quæ repertæ sunt, & ne timeas *Isaj. 37.* Propositio: *Promptissimus in negotijs humanis Orator S. ONVFRIVS ora cum gratiarum actione, corda cum cultu, Sacrarum suarum acceptabit Reliquiarum.* Post finitam Concionem *Eminentissimus Cardinalis* dedit benedictionem Pastoralem populo congregato. Ecclesia verò D. ADALBERTI tam intra quàm extra tali adornata fuerat methodô. Primo facies Ecclesiæ accomodata erat tota instar Eremi, in parte dextra Ecclesiæ S. ONVFRIVS cum Pafnutio sub pendula petra sedebant, sub quibus talis erat subscriptio:

Vltima quæ cunctos manet, ONVFRIO advenit hora,
Pafnutio mortem nuntiat ipse suam.

In altera parte Ecclesiæ, in viridi Eremo sub petra jacebat mortuus S. ONVFRIVS, Cui Pafnutius cum duobus

 Leonibus

Leonibus præparabant sepulturam, sub hoc talis erat inscriptio.

Vix moritur currunt Corpus tumulare Leones,
ONVFRIO obsequium Rex Leo sponte tulit.

Super foribus Ecclesiasticis depictus erat S. ONVFRIVS ab Angelis ad Cælos translatus, á Christo cum concentu Angelico susceptus, sub quo talis erat subscriptio.

Effusi populi reserantur pectora nec non
Propensæ turres: ingrediare viam.
Ingrediare, simul veniunt nam prospera tecum
Sol rutilat nitidus turribus Astra favent.

Quatuor Columnæ erectæ stabant, ante hancce Ecclesiam à lateribus, in parte dextra in una columna erat statua S. ADALBERTI *Patroni Regni Poloniæ & Ecclesiæ hujus* in qua hic Sanctus primò Verbum Divinum prædicabat cum *inscriptione.*

Navigium nostræ disponens Sarmata Cymbæ
Quam prosper remis utitur ipse tuis.

In medio hujus Columnæ depictum erat Stemma *Eminentissimi Cardinalis* LIPSKI, *Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ Protectoris singularissimi Archiconfraternitatis Literatorum,* cum *inscriptione:*

Rastra Polum versus Sacrato versa Tridente
Quid? nisi dona Tibi cum pietate legunt.

Ex opposito in sinistra parte in eadem Columna, erecta fuit Statua S. JOANNIS NEPOMVCENI *Canonici Metropolitani Pragensis, Martyris, Patroni bonæ famæ, & Tutellaris Confraternitatis Literatorum,* Cujus Reliquiæ reperiuntur hacce in Ecclesia, cum *Inscriptione.*

Per totum loquitur Taciturnum fama JOANNEM
Busta cvi linguam & dona dedere suo.

In medio hujus Columnæ erat Stemma *Celsissimi Principis Illustrissimi & Excellentissimi Domini THEODORI LVBOMIRSKI, Palatini Cracoviensis, Capitanei Scepusiensis, Protectoris Dictæ Archiconfraternitatis Literatorum* cum *inscriptione.*

Gemmifer auratusq́ tumens Szreniavius amnis
ONVFRII plausus appretiando fluit.

In tertia Columna erecta fuit Statua B. JOANNIS CANTIJ

Sacræ

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Patroni Principalis Regni Poloniæ, cujus insignis Reliquiarum particula invenitur cum *inscriptione*: 728.

CANTIUS in bustis hic multis hospes ab annis
Hospite Persarum Te veniente canit.

In medio hujus Columnæ erat Stemma *Illustrissimi & Excellentissimi Domini ANTONII Lodźia PONINSKI, Palatini Posnaniensis, Singularissimi Cultoris S. ONUFRII, & Protectoris Archiconfraternitatis prædictæ*, cum *inscriptione*.

PONINIÆ multos cymbæ fert Lechus honores
Quod Sacer hanc Princeps dirigat omnis honor.

In quarta Columna erat Statua S. CAPISTRANI *Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia*, qui in hac Ecclesia concionabatur & miracula patrabat. cum *inscriptione*.

Prodigijs Claro compar Asceta JOANNI
Debuit ONUFRI se sociare loco.

In medio Columnæ depictum fuit Stemma *Celsissimi Principis, Illustrissimi & Excellentissimi Domini Ducis in Alba Kovel, Smolany, Rakow, Principis in Zbaraz & Zaslaw, Comitis in Iarosław & Tarnow Lubartowicz SANGUSZKO Supremi Mareschalci Magni Ducatus Lithvaniæ, Capitanei Czercaviensis &c. Cultoris singularissimi S. ONUFRII Protectoris & Benefactoris Archiconfraternitatis Literatorum*, cum *inscriptione*.

Ut solet à Patria quævis propellere fata.
Hic Eques, ONUFRI, plaudit & ecce Tibi.

Circum circa Ecclesiam erat Eremus extructa ex arboribus densis procerisq; ad quam duplex patebat introitus. In dextra parte erat S. ONUFRIUS in Eremum ab Angelo in Columna ignis ductus, cum disticho,

Flammea cur præit in deserta Columna Decennem?
Igneus ignito Dux in amore fuit.

In ingressu hujus Eremi depicta pendebant 3. Stemmata. Imum. *Illustrissimi & Reverendissimi Domini MICHAELIS KUNICKI Episcopi Arsionensis, Suffraganei & Archidiaconi Cracoviensis, Abbatis Commendatarij Claræ Tumbæ*, cum *inscriptione*.

KUNICIUS cornu quadrupes quatit æthera celsô
ONUFRII in plausum sydera summa petit.

 Alterum

Alterum *Illustrissimi & Reverendissimi Domini MICHAELIS de Granow WODZICKI, Decani & Officialis Generalis Cracoviensis, Abbatis Commendatarij Wachocensis, ad Tribunal Regni Deputati* cum *inscriptione*:

Applaudunt Sacro Wodziccia sydera Regi,
Perpetuò Divis quæ pietate nitent.

Tertium Stemma erat *Peraugusti Capituli Cracoviensis*:

Regius est Sanguis conjunctus Persa Polonis
Dignus ut adsit Ei, trina Corona Poli.

In sinistra parte Eremi expositus erat S. ONVFRIVS ad Ermæum, in Eremum veniens cum *inscriptione*:

Austeros mores Ermæi doctus ab ore
Conscius hic lucus, quâ pietate nitet.

Ad ingressum hujus Eremi erant descripta tria Stemmata imum. *Illustrissimæ Domus Wielopolsciorum* cum *inscriptione*:

Auratas abicit Sonipes phaleras pede fausto
Ocyor abs frenis huc sua dona vehit.

2dum. *Almæ Universitatis Cracoviensis*, Filiæ Regum, tot Principum & Sanctorum Matris, cum *inscriptione*:

Dextris Alma tuis submittit Sceptra beatis
Mater tum Regum Filia, Sceptra fove.

3tium. *Urbis Metropolitanæ Cracoviensis* Coronatricis Regũ cum *inscriptione*:

Dum Sacer Hospes adis Portæ Turresq́ patebunt;
An poterunt claudi singula corda Tibi.

Tota exteriori Facies Ecclesiæ, Columnis, Stemmatis, Eremô, insupernumerosissimis adornata erat lampadib9. Ad quatuor partes Ecclesiæ exstructæ erant 4. Piramides copiosissimis lampadibus auctæ. Intus verò tota instar Eremi exornata fuit. In Magno Altari Effigies S. ONVFRIJ, ad Sanctissimam Synaxim ab Angelo Cælitus comportatam accedentis. In culmine Altaris *Inscriptio*:

Ponet Desertum Ejus quasi Delitias, & solitudinem Ejus quasi hortum Domini. Isai. 51. ℣. 3.

Item super effigie *Inscriptio*.

Felix ista conversatio despicere homines, Angelos quærere, urbes deserere

deserere & in solitudine invenire Christum S. Joan: Chrisostom: Homillia 2da. super Marcum.

Sub Imagine in magno Altari ex una parte

Hic est Panis de Cælo descendens Joan: 6: ℣. 49. *quô alui Te in sollitudine* Exod: *6.* ℣. 38.

Sub hac Imagine in altera parte

In hac Vasta solitudine Num: 11. ℣. 43. *lætatum est cor meum in ea, à juventute mea* Eccl: 57. ℣. 20.

In Altari magno copiosissimæ candelæ per tres gradus dispositæ, ingenti lumine pompam augebant. In 4to verò gradu supremo *SSmum SACRAMENTVM* in Monstratorio solenni fuit expositum. In sphæra Chori Minoris, pendebant argenteæ lampades, super quibus hæc *Inscriptio:*

Gaudeamus omnes in Domino, Diem Festum celebrantes, sub honore Sancti ONVFRIJ.

Tholus quoq; Ecclesiæ appensis numerosissimis prominebat lampadibus, super quibus erant exquisito penicillò depictæ Effigies, Vitam S. ONVFRII, exprimentes.

1ma. Antequam ex sterilibus Parentibus nasceretur S. ONVFRIVS: apparet Patri in specie peregrini dæmon, jurans fætum conceptum esse illegitimi thori: utq; clarius dicta ejus elucescant, suadet, ut infans postquam natus fuerit, statim in ignem mittatur, ex quo si illæsus evaserit, modoprimum habebitur vera soboles & Regius sanguis, cum *Inscriptione.*

Alloquitur Patrem Dæmon peregrinus, ONVFRI
Si tua progenies? igne probato mihi.

2da. Vix lucem primam aspexit S. ONVFRIVS, illico Pater in ardentem illum jubet inijcere rogum, in quo à flammis illæsus innocuas manus sub sydera tollit. Descendit mox Angelus, Patrem consilijs Dæmonis adhærentem arguit, puerum de medijs injungit eximere flammis, in Sacro Baptismate nomen imponere ONVFRII, & ad educandum sub Monasticam ferulam, statim à teneris tradere demandat, cum *Inscriptione:*

Igni dat natum Genitor, sed liber ab igne
Concessum Cælo, sat pia flamma docet.

73½ 3tia. Rex benè persuasus de voluntate DEI, arripit iter cum Infante, cui mox obviat cerva, nutu Divino ad ablactandum pusionem ONVFRIVM ordinata, currum, quô vehebatur, præcedens, cum *Inscriptione*:

Devehit ad Claustrum Pater Infantem, comes illi
Cerva viam monstrat, mox alimenta dabit.

4ta. Descendit Rex ad Chæretam Cænobium, cui occurrit Abbas, per revelationem à DEO instructus, Infantemq; cum Cerva libentissimè intra limina Claustri introducit, cum *Inscriptione*.

Obvius expansis dextris Abbas venerandus
Suscipit Infantem cum famulante fera.

5ta. S. ONVFRIO habenti aliquot annos, cùm Dispensator jentaculum daret, Ille datum sibi, in effigie depicto Puero JESU, inter amplexus B. MARIÆ Virginis commoranti porrigebat, rogando, ut ab eo reciperet, quod & practicabatur. cum *Inscriptione*:

Escam dat CHRISTO, dilectus ONVFRIVS Infans,
Convivam Sancti se facit Ipse DEVS.

6ta. Dispensator re perspecta ac cognitô miraculô, dari solitum jentaculum denegare cæpit, ONVFRIO S. dicendo: tu dividis panem inter te & IESVM, vade ergo ad Eum, ut tibi refundat, atq; det ad manducandum. Quo audito, statim ONVFRIVS S. abijt ad Infantem Christum in Imagine depictum, exigendo jentaculum ab Eo. Cui Puer IESVS, porrigit notabilis magnitudinis panem, ut eum vix deportaverit ad locum Cænobij. cum *Inscriptione*:

Non frustra CHRISTO dat Sanctus frusta tenellus,
Panis pro frustis, integer ecce datur.

In Circulo, supra minorem Chorum varijs sub ornamentis appensæ quinque Imagines spectabantur.

Prima Imago in medio.

S.D.N. BENEDICTI XIV. Pont. Maximi.

Cum Inscriptione.

Nuntiat en Urbi felix omen BENEDICTVS,
Turribus hic Sanctus prospera queq; dabit.

Secunda

Secunda Imago.

SERENISSIMI ac INVICTISSIMI 732

AUGUSTI III.

Poloniarum Regis, Magni Ducatûs Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ Samogitiæ Livoniæ, Kijoviæ, Volchiniæ, Podoliæ, Podlachiæ Smolensciæ, Severiæ Czerniechoviæ nec non Hæreditarij DVCIS Saxoniæ, Principis ELECTORIS,

à latere dextro *Inscriptio.*

Principe Persarum Turres has ingrediente,
Actûs AVGVSTE condecoramen ades.

Tertia Imago.

SERENISSIMÆ ac POTENTISSIMÆ

MARIÆ JOSEPHÆ

Reginæ Poloniæ &c:

à latere sinistro *Inscriptio.*

Vt fluat ad Portas Regis fortuna patentes,
REGINÆ Nomen jam mare suppeditat.

Quarta Imago.

EMINENTISSIMI ac CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS ALEXANDRI

Miseratione Divina S.R.E. PRESBYTERI Cardinalis

LIPSKI,

Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ,

Inferiùs à parte dextra. *Inscriptio.*

ONVFRIO messis dum crescit Turribus istis,
Hanc poscit Sanctus LIPSCIA RASTRA legant.

Quinta Imago

CELSISSIMI PRINCIPIS

Illustrissimi & Excellentissimi Domini

THEODORI LUBOMIRSKI

Palatini Cracoviensis, Capitanei Scepusiensis.

à parte sinistra *Inscriptio.*

Ossa PALATINVS Craci monstrat THEODORVS,
Hujus quòd Sancti Dona DEI maneant.

Altare S. ONVFRIJ, flectentis coram Imagine Crucifixi CHRISTI Domini, e rupe genuina, ac naturali efformatum, ejusmodi præstabat ornatu. In summitate Tholi miro artificiô constructa Regia pendebat Corona, supra quam *Inscriptio*

O Beata solitudo! o sola Beatitudo, Cordis solamen.

Ita Asceta.

Infra autem Coronam legebatur *Inscriptio.*

Conversatio autem nostra in Cælis est. Ad Phip: 3. ℣. 20.

Divus hic Anachoreta prout semper ardebat igne amoris DEI, explicabant id quinque corda igneis radijs circumfusa cum erumpentibus sursum è medio flammis: Inter quæ cristallina specula Angelicam Ejus castitatem designantia prominebant.

Super Corde in medio pendente, *Inscriptio.*

Supplementum sensuum defectus:

Ex una parte Cordis *Inscriptio.*

Quem Eremus Incolam transmisit Astris Cælitum.

Ex altera parte eiusdem Cordis *Inscriptio.*

Elevatum est Cor tuum, Cathedra DEI sedet, dedisti cor tuum, quasi Cor Domini. Sub Corde, erat *Inscriptio.*

Hæc est Fides nostra, Joan: 1mo.

A latere dextro Altaris, erat Cor simile priori, supra quod *Inscriptio* Annum Introductionis Sacrarum Reliquiarum, in se chronosticè exprimens,

Pro Corona CorrVptIbILI, quæsIVIt ILLe CoronaM InCorrVptIbILIs regnI, & sIC, sIbI InVenIt.

Sub Corde *inscriptio, Reposita mihi est Corona justitiæ.* 2da. ad Timot: 4to. ℣. 8vo.

Inferius sub Corde eodem, *inscriptio Corruptibilem Coronam.* 1. Corynth: 9. ℣. 13. *Remitto 1.* Machab: 10. ℣. 29.

Tertium Cor, exornabat *inscriptio* similiter Chronosticè Annum introductionis Reliquiarum exprimens,

E reglo sangVIne natVs, pVrpVra CVM nVDo ChrIsto esse sIbI optaVIt.

Sub Corde, *inscriptio. Byssus & Purpura indumentum ejus.* Prov: 31. ℣. 22.

Inferius

Inferius sub Corde eodem *Misit Purpuram* Machi: 10. ℣. 20. 734
A latere sinistro Altaris, Cor 4tum fuerat, supra quod *inscriptio* Annũ Introductionis iterũ, in se Chronosticè exprimens.

HæreDItas IVLIt sCEptrVM; ast potIVs sVbesse & non præesse, pro VIrIbVs LaboraVIt.

Sub Corde *inscriptio* *Cum Sceptrũ subverterit.* Ezech 21. ℣. 13.
Inferius sub Corde eodem. *Qui fecit omnia Sceptrum hæreditatis ejus.* Ierem: 51. ℣. 19.

Quintum Cor adinstar aliorum exornabat *inscriptio* Chronosticè Annum exprimens.

OnVfrIVs fILIVs regIVs regnVM In terrIs spernIt, Vt regna CæLestIa IbI possIdDeret.

Cor ambiebat abinfra *inscriptio. In omnia sæcula Regnum tuũ.* Inferius alia *inscriptio. Regnum meum non de hoc mundo* Joan: 13. ℣. 36.

In medio Altaris supra Statuam S. ONVFRIJ, legebatur *inscriptio. Ubi enim thesaurus est ibi & Cor erit* Luc: 12, ℣. 36.
à CHRISTO Crucifixo, in rupe consistente, *inscriptio* procedebat:

Numquid est Cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo. 4ti. Reg: 10. ℣. 15.

Ab ore S. ONVFRIj ad CHRISTVM Crucifixum, profluebant verba *in inscriptione.*

Quod autem nunc vivo, in corde vivo Filij DEI. ad Galat 2. ℣. 20.

Infra Statuam Divi Anachoretæ, Mensam Altaris tangens, Annum Introductionis Chronosticè exprimens, erat *inscriptio*, ex una parte Thecæ Sacras Reliquias continentis.

In EreMo IstIVs sæCVLI, In qVa aDVersItas Ita & trIbuLatIo sæVIt In nos.

Ex altera parte ejusdem Thecæ *inscriptio:*

TrIno Deo DIVe OnVfrI VICes Depone pro nobIs In hIsCe angVstIIs VersantIbVs.

In medio dictarum Inscriptionum, ex nobilissimo fusa argento, pulcherrima inventione tum eleganti artificio commendatissima, tota aurô fulgens Theca, insignem Particulam ex Brachio S. ONVFRII in se claudens, inter ardentes argenteis

teis superpositas candelabris, per duos ordines dispositas, Mensam Altaris occupabat candelas.

Incumbente vespere dum solennis Introductio finem suum sortiretur, mox in Turribus Prætoriana, & Excubiarum ad Ecclesiam Archipresbyteralem ad Tubas & Tympana, varij plausus in honorem S. ONVFRIJ successere: Hymnus de eodem Sancto decantabatur; extra Portas quoq; repetitis vicibûs majora sonabant tormenta, aliquot milliaribus à Cracovia audita. Ejusmodi triumphalia acroamata & festivi applausus, in numerosissimo devoti populi confluxu, circiter ad mediam noctem peseverârunt.

Die 12. Junij, ipso Festo S. ONVFRIJ; summo mane, tormenta sonare post Novam Portam, jam verò ante Ecclesiã S. ADALBERTI, tympana lituiq; cæperunt. Ipsa devotio horâ 4ta. inchoata; à quo tempore, multi Prælati, Canonici Presbyteri variarumq; Religionum Patres ad Altaria cum Sacrificijs confluebant, numerosissimus quoq; Procerum, variJq; status ac conditionis hominum confitentium ac ad Sacram Synaxim accedentium spectabatur concursus. Votivum Missæ Sacrificium, ad Altare S. ONVFRIJ celebravit *Perillustris Clarissimus & Admodùm Reverendus D. M.* MATHIAS FEDEROWICZ, *Sacræ Theologiæ Præsentatus, Collega Major Ecclesiarum Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ Custos, Prossovicensis Præpositus.* Circa decimam horã, ore doctissimo concionatus est *Illustris, Clarissimus & Admodùm Reverendus D. M.* JOSEPHVS POPIOŁEK, *Philosophiæ Doctor Ejusdemq; Tratnovianus Professor, Collega Major, Ecclesiarum S. FLORIANI Primicerius S. ANNÆ Canonicus, Ilcussiensis Præpositus,* super Th: *Homo quidam Nobilis abijt in Regionem longinquam accipere sibi Regnum & reverti,* Lucæ 19. Propositione formata. *ONVFRIVS S. Deo conjunctus, à mundi vanitate longe remotus, est semper Orbi in cunctis necessitatibus præsentissimus.* Post finitam Concionem Summum Sacrum celebravit *Illustrissimus & Reverendissimus D.* MICHAEL KVNICKI, *Episcopus Arsionensis Suffraganeus Cracoviensis,* duravitq; Devotio circiter ad horam imam, post meridiem.

Ad fi-

Ad finem Vesperarum Concionatus est *Admodùm Reverendus ac Eximius in Xto Pater* ANASTASIVS SAŁTYSZKIEWICZ, *Ord: Canonicorũ Regulariũ Beatorũ Martyrũ de Pœnitentia Conventus Crac: S. Marci Præpositus* super Th: *Amicus Fidelis Protectio fortis*: Eccl: 6. Propositionem statuit. *ONVFRIVS S. Regis Persarum Filius, admirandus Æpypti Anachoreta, est probatissimus à corde amicus, negotia hominum apud Regem seculorum, DEVM Omnipotentem, fidelißimè promovens & evincens.*

Die 13. Iunij, quæ erat Feria 3tia. applaudente pari choro ac tormentorum sonitu, manè hora 4ta, cum Expositione Sanctissimi inchoata devotio. Votivum Sacrum ad Altare S. celebravit *Illustris Clarissimus & Adm: Rñdus D. M.* CASIMIRUS STĘPLOWSKI, *Phil: Doctor, Regius Professor, Collega Major Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Archidiaconus*, quo finito Sacram Panegyrim dixit *Adm: Rdus & Religiosus Pater* DAMIANVS MATVSZEWICZ, *Ord. Prædicatorum S. Theologiæ Lector, Ecclesiæ Arhipresbyteralis in Circulo Crac: Ordinarius Concionator*: super Th: *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ* Psal: 80. Propositione ex circumstantia eo die incidentis Novilunij formatâ, *S. ONVFRIVS, Regis Persarum Filius, magnus Anachoreta ad solennem Sacrarum suarum Reliquiarum Introductionem, Novilunium in Horizonte Orbis Poloni, tam in Crescenti quam Decrescenti vitæ suæ & humanæ felicitatis Plenilunió causat & conservat.* Sũmum Missæ celebravit *Magnificus, Perillustris Clarissimus & Adm: Rdus D. M.* CASIMIRVS PAŁASZOWSKI, *S. Th: Professor, Collega Major Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam Canonicus, Curelowiensis Decanus Parochialium S. Stephani Crac: Præpositus, in Czerniechow Curatus, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis Rector.* Post Vesperas Concionatus est *Adm. Rdus & Religiosus in Xto.* P. STANISLAVS KIEŁCZEWSKI, *Ord: S. Pauli 1mi Eremitæ S. Theologiæ Doctor, ad Rupellam Ordinarius Concionator*, super Th: *Reliquiæ Diem Festum agent Tibi*: Psal: 75. Propositio trium Punctorum. *Solennitas Introductionis Reliquiarum*

732 *rum S. ONVFRIJ, Poloniæ & ejus Metropoli Cracoviæ 1mo. est signum indesinentis solatij* juxta Hymnum Ecclesiæ *Sacris solennijs juncta sint gaudia. 2do. est incitamentum ad consecrandã Deo vitam nostram exemplo S. ONVFRIJ* juxta Scripturam *memento ut diem Sanctum sanctifices. 3tio. est certa Prognosis, quod quiescemus non a laboribus, sed a languoribus, & cunctis infortuniis.*

Die 14ta. Junij, quæ erat Feria 4ta. sub ijsdem ut supra plausibus, majore populi ad Confessionem Sacramq; Synaxin accedentis, necnon Mystarum tam Sæcularium quám Regularium cebrantium accrescente concursu, Missam Votivã ad Altare S. habuit, *Perillustris & Adm. Rndus D. M.* STANISLAVS WOSINSKI, *Phiæ. Dr. Ecclesiarum, Collegiatæ Tarnoviensis Canonicus, in Porebka Curatus, Woynicensis Foraneus Decanus.* Postea concionabatur *Adm Rdus & Religiosus Pater* MICHAEL KACZENSKI *Ord: S. Francisci Conventualium S. Th. Lector, Concionator Ordinarius Conventûs Crac:* super Th. *Abijt in Regionem longinquam.* Lucæ 19. Propositio *Ad interesse nostrum, semper Domesticus Patronus S. ONVFRIVS.* Summum Sacrum celebravit, *Perillustris & Reverendissimus D. M.* JOANNES LVKINI, *J. V. Doctor & Professor, Ecclesiarum Cathed: Crac. Canonicus, Collegiatarum Vislicìensis Primicerius, SS. OO. Crac: Cancellarius, Slawkoviensis Præpositus.* Post Vesperas Concionatus est, *Adm. Rdus & Religiosus P.* STANISLAVS SZCZEPANOWSKI, *Ord: S. Francisci Conventualium Ph. Lector.* super Th: *Coronemus nos rosis.* Sapien: 2. ℣. 8. *In humeris portaberis.* Ezech: 12. ℣. 6. Propositione formatâ. *Dum intueor mutuo sibi obligata* Corda *tam Metropoleos Regni erga ONVFRIVM, quam ONVFRIJ S. erga hanc Metropolim, dumq; accedo ad Coronas* Coronemus nos; *advertamus diligenter hanc* Coronationem, *quidnam subinferat S. ONVFRIVS Regis Persarum Filius?* Cracovia, *dum me inter Sanctos tuos Tutelares ponis Patronum, ego Te impono Sacro Humero meo. In humeris portaberis.*

Die 15ta Iunij quæ erat Feria 5ta. mox post mediam noctem, circa tormentorum explosionem, tubarum, aliorũq; instru-

instrumentorum sonitus, Festivi plausus sonuerunt. Horâ 4ta. ad ingentem populi, necnon Venerabils Cleri, cum Missarum Sacrificijs confluentis, quem vix capiebat Ecclesia, concursû, inchoata devotio. Post horam 8vam Missam Votivam cantavit, *Illustris Clarissimus & Adm. Rdus D. M.* IGNATIVS HERKA, *Phil, Doct: Regius Professor &c.* quâ finita Sacrū Oratorem egit, *Clarissimus & Excellentissimus D. M.* JOSEPHVS DECLOS *Phil: Doctor, & Professor, Collega Minor,* super Th. *Dedit eis* Lucæ 19. *Roboravit brachium suum* Prov: 31. Propositionem statuit. *Christus Dominus ONVFRIO S. & se totum & omnia commisit, ut ea omnia omnibus subministret, quæ sunt unicuiq; summe necessaria.* Summum Sacrum celebravit: *Perillustris ac Reverendissimus D.* SEBASTIANVS KOMECKI *Custos Cathedralis Cracoviensis.* A meridie circa horam 3tiam tormenta extra mænia Vrbis explosa, tympana lituiq; dedere signum imminentisConclusionis. Vesperæ Solennissimo applausû post horam 4tam inchoatæ, quibus finitis in Conclusione Devotionis in laudem Diui Thaumaturgi ONVFRIJ Sacrum Sermonem habuit, *Illustris Clarissimus & Admodum Reverendus D. M.* ANTONIVS KRZANOWSKI, *Philosophiæ Doctor, ejusdemq; Regius ac Tylicianæ Eloquentiæ Professor, Collega Major, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ, Scholasticus.* super Th. *Evge serve bone* Lucæ *19* Propositione formatâ. *Sole est clarius, quod ONVFRIVS S. bene Deo serviverit, deservitamq; mercedem pro eo receperit, adhuc tamen à Deo debetur aliquid ONVFRIO: ac proinde cum eo sic DEVS conclusit: quodquemcunq; ONVFRIVS ex sacro Brachio suo DEO præsentaverit, illi in omnibus tam gratiosum seseDEVS prebebit, qualem se præbuit, & præbet ipsi Onufrio* S. Post finitam sacram hancApotheosī anteEcclesiamS, ADALBERTI, in turribusPrætoriana & Excubiarū incessanter clangores tubarum variorumq; instrumentorum sonuerunt. Extra Portas quoq; tormenta explodebantur. Tandem, *Illustrissimus Suffraganeus Cracoviensis* Pontificaliter ornatus, Ambrosianum Canticum: *TeDEVM Laudamus* intonuit, quo decantatô in numerosissimo populi confluxu, ad reboantia tormenta, tubarumq; sonitus

continuos, subsecuta Conservatio SANCTISSIMI. Et quamvis *Illustrissimus Episcopus* benedictione Pastorali jam Devotionem terminaverit, numerosissimus tamen populus, agmine denso ad mediam noctem devotionis gratiâ, ad Ecclesiam confluebat, quem accinens immensus Artistarum Musices chorus alliciendo, invitabat Ecclesia tota in medijs arsisse videbatur luminaribus. In Octava Die prædictæ Solennitatis circa horam 10mam, fuit solennis Missa Votiva *de SSma Trinitate*, in Gratiarum actionem DEO in Sanctis suis mirabili, pro feliciter absoluta Introductione, quam celebravit, *Illustris Clarissimus & Admodum Reverendus D. M.* IOSEPHVS POPIOŁEK, *Philosophiæ Doctor, Tratnovianus Professor Collega Major &c.* in numerosissima Procerum Regni, ac devoti populi frequentia, a quo non tantum tempore Solennis Introductionis, ast in hunc etiam diem, hic Sanctus Anachoreta summa cum veneratione colitur. Quod totum cedat ad Laudem & Gloriam DEI TER OPTIMI MAXIMI, Admirandi in vita Anachoretæ DIVINISSIMI ONVFRIJ, ad cultûs incrementum.







